


# CARDIGAN-SHIRE.



**A**B OCTOPITARO, five S. Davidis promontorio retroacta oblique in Ortum littora vasto & lunato sinu mare admittunt, cui tertia Dimetarum regio incumbit, quæ Anglis *Cardiganshire* appellatur, Britannis *Sire Aber-*

precario animam inter infensos Wallos traxisset, demum ea lege liberatus, ut possessionibus in Wallia renunciaret) primus è Normannico genere Hiberniam auspicato cum exigua militum manu intravit, & Anglis aditum sua virtute aperuit.

A *Tivii* ostio molliter recedit littus plurimis rivulis pervium, inter quos, superiori agri parte memorandus est, quem Ptolemæus memorat, *STUCCIA*, cujus nomen etiam hodie integrum in ore vulgi versatur, *T-stwith* scilicet; qui ad fontes, plumbi habet venas, & ad ostium *Aber-y-stwith* oppidum totius conventus copiosissimum, quod Gilbertus etiam ille Clarensis muris armavit, & Gualterus *Bec* Anglus diu contra Wallos tutatus fuit. Huic adjacet *Lhan Badern* vaur id est *Fanum Paterni magni*, qui ex Armorica oriundus *Cereticorum* (ut habet ejus vita) *ecclesiam & pascendo rexit, & regendo pavit*. Cujus memoriæ templum sedemque Episcopalem hic consecravit posteritas. Verum Episcopatus, ut scribit Rogerus Hoveden, quia *Parochiani pastorem suum interfecerant, olim obsolevit*.

Eodem quoque ostio in Oceanum etiam se eicit *Ridol* fluvius, è *Plindimon* monte prærupte altissimo descendens, qui Aquilonarem agri partem claudit, & è suo gremio *Sabrinam & Vagam* nobilissima, quæ dixi, flumina, effundit. Nec multum supra *Stuccia* ostium *Devi* fluvius, qui inter hanc & *Merionith* regionis limitis vice fungitur, in mare se condit.

Vix confirmarant suum in Britannia imperium Normanni, cum statim hanc oram classe tentarint, & feliciter quidem res successit. Maritima enim paulatim, regnante Guilielmo Rufo, Wallis extorserunt, sed maximam ejus partem concesserunt Cadugano filio Blethini, Britanno prudentissimo, cujus gratia plurimum in universa Wallia poterat, & quo amicissimo utebantur Angli. Sed cum ejus filius Oënus juvenis amentia præceps, pacis odio Anglos, & advenas Flandros assiduè excursionibus infestaret, infelix pater patrimonio multatus, filii commissa luit, qui & ipse solum vertere coactus, in Hiberniam se subduxit. *Cereticam* vero Rex Henricus Primus Gilberto Clarenfi donavit, qui præsidia disposuit, & castella munivit. Sed Caduganus cum Oëno filio in gratiam postea ab Anglis receptus, quæ sui erant patrimonii etiam recepit. Oënus vero ad ingenium reversus, iterumque res novas molitus, à Giraldo Penbrochiesi, cujus uxorem Nestam rapuerat, occiditur. Pater autem in Angliam abductus mitiores fortunæ vices diu expectavit, tandemque suis senex redditus, à Madoco nepote ex improvise transfoditur. Rogerus de *Clare* postea *Cereticam* Henrici II munificentia accepit, sed Richardo Comite de *Clare*, ejus, ni fallor, filio, à Wallis, dum terrestri itinere huc contendit, interempto, Rhesus Suthwalliæ Princeps, Anglis magna strage profligatis, victore exercitu sui demum juris fecit: nihilominus in Anglorum potestatem sine cruore sensim denuo recedit.

Cardigan-shire.

Caratacus Rex.

Zonaras.

Tuerobius fl.

Roff. Stratfleur.

Kilgarran. Salmonis saltus.

Castores Bevers.

Cardigan.

Fitz-Stephens.

*tivi*, vetustis scriptoribus *Ceretica*, à Carataco Rege, si quis existimet, è suo sensu, non antiquorum autoritate hæc ejus deprompta videatur conjectura: & tamen celeberrimum illum Caratacum hic rerum potitum fuisse legimus. Campetris est hæc regio ad Occasum, qua mare prospicit, uti ad Meridiem, qua *Tivius* flu. Maridunenses secludit: ab Ortum autem & Aquilone, qua Brechinenses & Montgomerienses spectat, continui montes pabulo foecundi perpetua latera trahunt, sub quibus passim diffunduntur lacus. Non urbibus, sed tuguriolis, hant olim, ut reliqua Wallia, fuisse distinctam ex illo principis sui Carataci dicto colligatur, qui cum Romæ splendorem & amplitudinem captivus perlustrasset, Itane, inquit, cum hæc & hujusmodi habeatis, nostra tuguriola concupiscitis? Quæ sunt tamen vetustioris notæ paucis percurramus.

*Tivius* flu. Ptolemæo *TVEROBIVS*, corrupte pro *Dwr Tivius*, id est, *Tivius* flu. è lacu *Lintivy*, sub montibus, quos dixi, primum saxi impeditus, & fremens sine alveo devolvitur, per lapidosum admodum tractum, juxta quem ad *Roff* nundinæ pecuariæ montanorum frequentissima celebrantur, donec *Stratfleur*, cœnobium jam pridem Cluniacensium, montibus circumdatum accesserit. Inde alveo recepto per *Tregaron*, & *Landevi brevi*, in Davidis Menevensis Episcopi memoriam constructum, & nominatum desluit, ubi ille frequenti Synodo Pelagianam heresim in Britannia renascentem, & sacris Scripturis, & miraculo labefactavit, excrecente, ut ferunt, sub eo in tumulum terra, qua ille concionatus. Huc usque, & etiam ulterius in Meridiem se agit *Tivius* ad *Lan Beder* mercatorium oppidulum. Hinc converso in Occasum cursu *Tivius* latior fertur, propeque *Kilgarran* lapsus, ruit ex alto præceps, & *Salmonis saltum* facit, de quo modo dixi. Salmonibus enim est feracissimus, olimque solus Britannicorum fluviorum, ut credidit Giraldu Cambrensis, Castores habuit. Animal hoc est amphibium, pedibus prioribus caninis, posterioribus anserinis, pelle cinerea subnigra, cauda oblonga, lata, & cartilaginea, qua fluitans gubernaculi vice utitur. De quorum solertia multa observavit Giraldu ille, sed hodie hic comparent plane nulli.

Vix duobus hinc miliaribus *Cardigan* abest, Britanni *Aber-Tivy*, id est, *Tivii ostium* nominant, præcipuum hujus regionis oppidum, à Gilberto filio Richardi Clarenfis munitioibus firmatum, quod postea proditione deditum diruit Rhesus filius Gruffini, capto Castellano Roberto *Fitz-Stephens*, *Stephanidem* nonnulli vocant, qui (cum diu

Stuccia fl. Istwith.

Ridol fl.

Domini Ceretice.

Ecclesia parœciales in hoc sunt 64.

Britannia.

PPPPP

ORDE.